

dissensio, aequam. Consequens igitur, ut generi, quemadmodum alias semper, per speciem derogetur, et ut in iuris posterioris generalis regula, quae priori lege speciali sunt cauta, tacite excepta videantur. Atque sic recte se habet, nec debet, nisi legitimae regulae, quae leges priores ad posteriores sunt trahendae, vim facere malueris, in dubium adduci eorum iudicium, qui patriam legem, negant, vinci edictorum Saxoniorum potestate. Verum enim vero, cum in hanc sententiam respondeo, tantum abest, ut Gorlicenses meos liberem ab usu et obligatione edicti Saxonici, legeque solutos pronunciem, ut omnia alia sentiam. Evidem de universo genere ita statuo. Leges vincuntur legibus; idque variis modis et inter se discrepantibus. Potest enim ea res, quod catechumeni non nesciunt, hoc loco tamen ob ea, quae sunt consequentia, praetermitti nequit, abrogando, exrogando, obrogando, subrogando fieri. Ex quibus tria, quae priori loco posui, hoc commune habent, ut legem priorem vincant; hoc est, evertant et extirpent. Lex enim, quam noluit Princeps obtinere, nil interest, fueritne expugnata aperta legislatoris voluntate et expressa, scilicet abrogatione vel derogatione, an tacita, quae ex